

non potest tolli, et sequentia habet pro responsione Pauli, quam ita vertit: *ex illa obiectione sequitur, legem et promissionem diuinam sibi invicem repugnare? Neutiquam vero hoc concedi potest etc.* Sed omnes sponte intelligent, sic in verbo *hominum* omnem argumentationis vim sitam esse, ideoque Paulum non potuisse hoc verbum, in quo rei cardo vertitur, omittere. Deinde valde molestum est, prius *ὁ δὲ* vim obiectionis habere, posterius vero incipere enunciationem causalem. Denique ea, quae ex Bonitzii mente Paulus ex obiectione colligeret, inde non sequuntur, sed omnia alia. Quis enim ex eo, quod lex divina nitatur auctoritate, concludat, eam pugnare cum promissione, neque potius, eam cum hac bene conuenire?

His ita declaratis atque expositis, quantum operae Viri doctissimi, praesertim inde a tempore insauratae per Lutherum religionis Christianae, impenderint remouendis spinis, quibus locus noster obfitus, interpretes, a se quasi deterreat, perspicere facile potest, at etiam simul intelligi, nouum huius rei periculum certe non fore superuacaneum, etiamsi fortassis prospero successu non minus destitutum fuerit.

C A P. III.

*De nouis quibusdam rationibus locum nostrum explicandi.*

Quum nos plura de loco illo, variis difficultatibus insigni, nobiscum reputaremus, intelleximus, si quod vocabulum ex antecedentibus repetendum sit, ad vocem *ἐνὸς* optime intelligi cum Koppio *νόμος*, propterea, quod hoc vocabulum omnium vltimum versum nostrum praecedat, quum *διαταγῆς*, ad illud relatum, eius memoriam in lectoris animo seruet. Sed quum nec haec ellipsis, vt supra monuimus, libera sit ab omni duritie, (pag. 43.) suppleri suademus *πρώτου*, n) vel *τινός*, o) hoc sensu: *non, est interpres vnici cuiusdam,*  
rei

n) quod verbum quoties omittatur, probant exempla, a Lamberto Bosio et Schleusnero ad h. vocem allata, quae in infinitum possent augeri, quia, vbicanque adiectiuum gen. neutr. substantiuum vices sustinet,